CAESARIS AEVOLI NEAPOLITANI,

DE CAVSIS ANTIPATHIÆ, & Sympathię rerum naturalium.

VENETIIS,

Apud Franciſcum Zilettum. M D LXXX.

ILLVSTRI CAROLO AEVOLO

suo dilectissimo Fratri,

Cæsar Æuolus Neapolitanus.

SÆPE *rei peculiaris amore acies mentis perstricta quid inter verum, & falsum intersit, non distinguit. Odium quoque luminibus intellectus obstrues, iudicium veritatis præcludit: propterea iuxta illud Aristotelis, qui amore, vel odio detinetur, rectè de re aliqua nec statuere potest, nec diiudicare; diligens propterea vnusquisque (vt in Ethicis compertum habetur) sua poemata, suasq; compositiones omnes, dum versatur, circa suum iure tractatum opus, ipsumq; excutit propria quadam affectione deuinctus sibijpsi*

 assentatur,

assentatur, sitamq; opinionem fallit. Iccircò si iudicio meo considerem, eadem ratione in eundem errorem procliuius inciderem. Qua de re ne meipsum meis viribus in fallaciam impellerem, de isto quidem libello, in quo agitur, de causis Antipathiæ, vel Sympathiæ naturalium rerum nolui iudicium aliquod constituere, sed ipsum approperatum tibi cõmittere, ut si emendari, & corrigi potest, ipsum articulatim, distincteq; perspicias, atque diiudices, sin minus, ignis in eum coniectus, fuliginem suam absumat; iccircò, ut propositum meum latius tibi pateat, scio te non latere multos de eodem subiecto, multa confusim retulisse; qui sanè causas non tetigerunt, nec unquam in ordinem scientiæ argumenta collegere: propterea veluti apologorum scriptores translatis, & resonantibus verbis potius aures illexerunt, quàm principijs indemonstrabilibus intellectum construxere: ideoq; pro virili conatus sum ordine scientiæ ipsum disponere, illamq; demonstrationem aggredi, qua in rebus arduis uti potest, quod si adeptus

adeptus ſum, ad tuam ſententiam refero; Caue propterea, ne tuus amor erga me indagini mentis tuæ tenebras offundat, ſed tanquam à ſeuero reprehenſore ſit à te emendatus, & correctus; hos igitur labores ſuſtine, ſicut maiores nomine meo in dies ſuſcipis, quod mihi gratiſſimum erit, & tu elaborando cauſa Fratris, qui tantùm te diligit, te ipſum præmijs afficies.

Vale.

CAESARIS AEVOLI NEAPOLITANI,

De caufis Antipathiæ, & Sympathiæ rerum naturalium.

EORVM, quæ ex gremio Naturæ promere videbant principia, & caufas primi Philofophi, non percipientes, admiratione affecti cœperunt ineleganter philofophari: poſteà verò earum caufas retegendo, hanc quidem in admirationem amplius non traducebantur: deinde verò paulatim vlterius procedentes, ob alias caufas eos latentes, iterum admiratione obſtupefacti, ad earum perſcrutationem mentem erigebant. Verùm quia multi mirabiles effectus in lucẽ prodiebant, ignoratis caufis, nunquam potuerunt ſe omninò à tali admiratione abducere, quæ præcipuè animos hominum inuadit, dum Antipathiæ aliquæ, vel Sympathiæ palàm proferuntur: propterea, vt intellectus admiratione minimè perſtringatur, vtile admodum eſſe exiſtimo, caufas earum indagare: quapropter in communi quærẽdum eſt quid ſint, & in quonam

nam genere collocentur, & vtrum actus sint, vel potentiæ, amplius autem tractandum est si differant specie, vel non, & vtrum diffinitio sit vna, an plures; siq; possunt separari, vel vni, eidemq; indiuiduo simul iunctæ adhęreant: postmodum de vnaquaq; specie earum quęrere, perscrutariq; consentaneum videtur; quanquam hoc opus sit omninò laboriosum, magnæ, arduæq; cogitationis indigens; nam methodum illam, secundum quam ad diffinitionem procedendum est, haud facilè consequi potest.

Variæ antiquorum sententiæ de causis Antipathiæ & Sympathiæ rerum Naturalium.

QVONIAM autem (vt Aristoteles refert) nescimus verum absq; causa, & tunc dicimus vnumquodq; scire, cùm nos primam causam cognoscere arbitramur, nonnulli eorum, qui ante nos ad huiusmodi perscrutationem venerũt, alia existente causa eis nõ nota, Deum solum esse causam Antipathię, & Sympathię rerum naturalium asseruerunt.

Deus.

Alij verò rationibus longè posteriores ex idęis existi-

Ideæ.

existimarunt illas tantùm exortum habere: censebant enim species ex ideis in materialia transfusas res ad amorem, vel odiũ excitare. Quibusdam verò visum est, causas earum esse attributa, illa quibus Deus per intelligentias officio cœlestium corporum in entia omnia virtutem diuinam effundit, & fortassis hanc habuerũt opinionem, quia nihil est in inferiori mundo tam virtute diuina denudatum, quin aliquo pacto sit virtutis diuinæ compos. Sunt autem quidam, qui arbitrantur hoc ex intelligentijs emanare, putant enim nullum lapidem esse, plantam, metallum, & animal, quod suam peculiarem intelligentiam non sortiatur, quę quidem in suum particulare ens virtutem infundens modò tantùm, non efficit, vt incremẽtum suscipiat, verumetiam vt suis effectibus aliquãdo nos admiratione afficiamur. *Attributa.* *Intelligẽtia.*

Post hos videntes deinceps mundum inferiorem à superioribus lationibus gubernari, corporaq; omnia esse cœlesti virtute repleta, arbitrati sunt, tale principium esse corpus cœleste: ex quo non parum difficultatis sibimet reliquerũt; nam etsi veritatem superficietenus balbutiendo tetigerunt; tamen, quia vltra corticem non penetrarunt, sufficere minimè potuerunt. A nonnullis *Cœlũ.*

Anima. verò dicitur Animã esse huiusmodi principium; in ipsa enim virtutes operandi insitæ sunt, atque affixæ, quod corpori non obtingit; nam efflata anima, potentiæ omnes organicæ in interitum cadunt.

Materia. Alij verò, hoc Materiæ tribuerũt, ex quo enim sunt entia omnia, & ex quo primò fiunt, & ad quod vltimò corrumpuntur, elementum esse videtur. Alij dicti priores, videntes Formam inesse vnumquodq; constituere, operationesq; omnes potius ex Forma, quàm ex Materia dimanare sententiam minus incongruentem prosequentes arbitrati sunt, litem, & concordiam à Forma progigni. *Forma.* Verùm quia solum ens completum, & demõstratum in esse, & in natura sua potest operationes efficere, quoniam tâm materia, quàm forma est aliquid incompletum, ex eo quod altera earum est pars speciei, altera verò in potentia tantùm, nonnulli arbitrati sunt Compositum ex materia & forma esse causam illam, quam indagare conamur. *Compositum.* At qui dicunt qualitates primas esse calidum, & frigidum, humidum, & siccum; Secundas verò quę ex earum admistione deriuãtur: actiones quarum ĩ aliqua præfinita corporis parte vigentes dicũtur. *Qualitates.* Tertiæ, quoniam substan-

tiæ

tiæ qualitatibus ipsis insitę mutuò inter se congruunt, vel opponuntur; sicut videmus terram siccitate opponi aquæ, frigiditate ipsi congruere, putant Antipathias, & Sympathias omnes ab istis qualitatibus deriuare. Nemini tamen (quod quidem sciam) hoc esse à Casu, vel à Fortuna visum est partim quoniam in rebus carentibus ratione, quemadmodum est maior pars earum, quæ mutuò inter se conueniunt, vel odio prosequuntur, Fortuna esse non potest; & partim etiã quoniam in causas per se ordinem habentes hoc refertur, vnde in Fortunã minimè deduci potest. Sed si aliquibus causis contingat per accidens, ad aliquem effectum confluere, tunc quod fit, à Fortuna, vel à Casu dicitur fieri.

Aduersus sententias Antiquorum variæ adducuntur rationes.

INSITA est autem in nobis vis quędã diuino munere; cuius homines omnes mente non capti, Deum esse principiũ à quo omnia in nos transfunduntur, apertè sentiunt: ex quo Aristoteles profitetur primum ens esse, & viuere omnibus entibus elargiri, quapro-

pter quoniam esse, & vita, indiuiduis inest; necessariò contigit, vt accidentia omnia, quæ per se ad vnumquodq; indiuiduum pertinent, ex eadem causa dante esse, originem trahant. Agens enim quod dat formam iuxtà Peripateticorum sententiam dat etiam consequentiam Formæ: iccircò si à Deo esse, vita, vis operandi, muneraq; omnia particularibus distributa sunt; quis erit tam vecors, qui profiteri audeat ipsum infinita virtute præditum de particularibus curam non suscipere? Quapropter nõnulli rectè dicunt Deũ esse principium, sed non satis candidè, nec peritè; quoniam in demonstratione proximiores causæ expetendæ sunt, non autẽ remotiores. Tunc enim Naturam, & quidditatem rei dicimus scire, cum intima principia, vel saltem proxima, cognoscere opinamur; Qui verò ad remotissimã causam confugiunt, possunt nullo labore omnia soluere, scientiam verò nunquam efficere, nec alijs tradere. At qui dicunt Ideam esse tale principium, omninò à ratione distare videntur; Ideæ enim, vel sunt formę separatæ, & æternæ, exemplaria eorum quę naturaliter fiunt, vel in mente diuina existunt. Exemplaria quidem Aristoteles, dissentiens à Platone, negat omninò esse; ad hoc enim

Nõ est Deus.

Platonici

Platonici dicunt ideas esse species separatas, vno, eodemq; statu semper existentes, easq; gigni negant; cętera verò nasci, occidere, fluere, & labi, vt substantiæ particulares sensiles ad earum similitudinem formarentur, quod Aristoteles valde superuacaneum existimat. Nam si Natura particulare agens, potest facere alterũ quale ipsum, homo quidem hominem; planta autem plantã, non oportet ideas esse; aliter enim agens esset monstrum orbatum, & non sufficienter à Natura institutum. Signum enim perfectionis est facere alterum quale ipsum. Si verò idea in mente primi Motoris existens, exemplar totius vniuersi est; non ob id censere debemus causam esse huiusmodi effectus: nam etsi res genitæ ab ipsa similitudinem ducunt; propterea non obtingit ei realiter eo modo in eas transire, quo virtus actiua Dei in entia omnia permeat, vnicuiq; munera sua tribuendo; quapropter virtutes, & operationes particularium potius ex virtute Dei, quàm ex idea emanare videntur. Si verò in virtutes simplicissimas Dei, quę Sephirot ab Hebræis nuncupantur, hoc erit relatum, proculdubio hæc demonstratione penitus orbata non erit scientia, quoniam (vt Peripatetici ferunt) est habitus per demon-

Non Idea.

Non emanationes.

demonstrationem acquisitus, cognitione intimarum causarum indigens, icircò versantibus circa remota, quemadmodum sunt virtutes Dei, non contingit scientiam adipisci.

Non Intelligentiæ. Propterea in similem errorem incidunt, qui hoc intelligentijs ascribunt; quoniam (vt diximus) proximiores causas non attingentes, principiũ demonstrationis cõsequi minimè possunt.

Non Cælũ. ¶ Qui verò putant principium vniuersale, & causam omnium esse corpus cœleste, ex consentaneis rationibus non ducuntur. Multæ enim Antipathiæ, & Sympathię, vt inferius palàm erit, non ex virtute cœlesti, sed ex alijs manifestis causis deriuãtur. Quidam verò rudium Animarum solam esse principium dicentes, coguntur profiteri hoc posse tantùm rebus animatis accidere,

Non Anima. quod valdè incongruum est; nam res Animæ expertes etiam concordia quadam naturaliter se congruunt, vel odio mutuò se prosequuntur: propterea quoniam in aliquibus rebus, naturalis amor residet ergà aliquas, vel odium struitur, ex eo quod sunt inter se ęquales, & pares, vel natura, proprietateq; ex corporis temperatione affluente dissident, profiteri non debemus passiones illas ab Anima, sed potius à similitudine,

vel

vel dissimilitudine Naturæ commoueri. Dicentes verò Materiam esse causam physicæ disciplinæ, ignoratione plus à Forma veritatis absunt. Tota enim potentia Materiæ, vel est vnica Forma distéta, & sic est tãtùm ad vbi; vel ex ipsa, Formæ omnes ab intentũ non alienæ reducuntur ad actum: & secundum hoc nulla ex ipsa prouenit actio. Nihil enim potest suas operationes complere, nec aliquid in alterum agere, si non est ens actum completum: iccircò quoniam actu non existit, absurdum est huiusmodi effectus in illũ reducere. Si verò, vt alij censebant hoc absolutè ex Forma émanaret, necessariò contingeret, vt proprietates omnes vnius particularis, essent etiã in omnibus indiuiduis eiusdem speciei; nã quod vni per se ratione Formæ inest, omnibus etiam eadẽ forma preditis inesse debent: videmus enim risibilitatem, quę per se homini competit, non solum in Socrate, & in Platone, sed in hominibus omnibus reperiri. Secus verò de hoc arbitrari quispiam debet. Multę enim proprietates indiuiduorum in speciebus non existunt, quod sanè (vt clarius innotescat) operepretiũ est exemplum petere à quodam viro, qui sua peculiari, oc cultaq; natura affectus, Cinaris, non solum non

Non Materia.

Non Forma.

vesceba-

vescebatur, sed cum ipsi obtingebat eas oculis cernere, vel earum nomen auribus percipere magno cum tremore, & pallore tristitia statim conficiebatur. ex quo sæpe; quod hisce oculis vidi, atque interfui, ex eius corpore ob id laborante, sudor non modicus promebatur: quod quidem ceteri homines non patiuntur, immò tali cibo libenter vtuntur, suauitate sua delectantur, atque perfruuntur, quod satis dilucidè apparet p̄prietatem hanc ad indiuiduum tantùm pertinere. Quoniam verò Compositum ex Materia, & Forma maiorem virtutem assequitur, atque longè præstantius est, ex eo quod completum existens, potest suas operationes explere. Nonnulli hoc rantummodo in ipsum conferunt. Enimuerò quoniam inter Materiam & Formā est quędam determinata proportio, quamuis compositum ex his vim maiorem adipiscatur. fieri tamē nequid, quin aliqua proportio inrer suam & partium virtutem non reperiatur: qua de re effectus ex totius substantia tunc emanant, dum iuxta hanc proportionem tam virtuti totius, quàm partium respondent; Si verò in immensum excedunt, quemadmodum virtus Etheneis in ipsum reduci minimè queunt: propterea quoniam

Non Compositū.

niam virtute, ex quibus multæ Antipathiæ, & Sympathiæ exortum habent, satis, superq; vim compositi excedunt, nullo pacto hunc sensum prosequentes causam & principium attingunt.

Qui verò hoc solum à qualitatibus manifestis emanare dixerunt, causas omnes non tetigentes sufficere minimè potuerunt. Multæ enim Antipathię, & Sympathię, vt deinceps dicetur, non ex istis, sed ab occultis ferre videntur, cui sanè nemo occurret; alter enim hominum non semper alterum diligit, nec diligitur, ex eo quod in qualitate humida, vel frigida est ei proximus, vel quoniam alter eorum est frigidus, alter verò calidus, sed indifferenter, amor, & odium incenditur tam inter consimiles qualitates habentes, quàm contrarias. *Non qualitates manifestæ.*

Inquiritur nunc quid sint; & in quo genere collocentur.

OPERAEPRETIVM est animaduertere res omnes iuxta Peripateticorũ sententiam, pręter transcendentia in decem generibus collocari; quorum pręstantius est ipsa substantia, ad quam Antipathię, & Sym-

pathiæ haudquaquam possunt ascribi, quoniam substantiæ, quatenus substantiæ sunt, mutuò inter se amore non respondent, nec contrarietate aliqua sese impediunt, atque offendunt; quamuis enim scorpionibus sit contrarius stellio, muribusq; mustela; & inclinatio ad amorem sit inter cornicem, & ardeolam; turtures, & psitacos: ob id minimè arbitrari debemus ex eorum substantia hoc emanare, quoniam altera substantiarum (quatenus substantia est) amore, vel odio non prosequitur alteram: nec profectò ad alia genera omninò verè contrarietatis expertia, quemadmodum sunt tempus, agere, pati, ad aliquid, situs, & habitus; in istis enim cōtrarietas locū nō obtinet, quò consequio quoddā fit, vt nec illa quę in his collocātur adinuicem inter se amore commoueantur; nā vbi contrarietas residere minimè potest, ibi, concordia nō gignitur; ideoq; in quali, vel in quanto, vel in genere loci videntur subsidere; in his enim contrarietas tantùm reperitur, verùm quia in quanto non est contrarietas, nisi secundum magis & minus, nullo pacto in ipsum reducuntur: nullum enim erga aliquid his passionibus afficitur, ex hoc quòd ipsi, maiore vel minore quantitate opponitur: nec sanè in

genere

genere loci collocantur; res enim aliqua ratione loci non aduersatur alicui, nec amore prosequitur ipsum: Signum est firmitas habentium inter se litem, & amicitiam, quoniam amor, & odium eorum, propter contrarietatem, vel vnitatem locorum non excitatur, nec extinguitur: & si terra aducrsarur igni, propterea statuere non debemus hoc esse à contrarietate locorum, quibus resident; sed potius ex alijs causis, vt ex his quæ dicentur palàm erit: vnde necessariò contigit ipsis sub qualitate collocari, quod quidem genus tam occultas, quàm manifestas qualitates specie differentes amplectitur; quarum aliquæ similes sunt, aliquæ diuersæ, & aliquæ omninò contrariæ, & hæc in eodem genere plurimum differunt, sicut album & nigrum: diuersæ autem quæ inter contraria locum obtinent, sicut croceum, & rubeũ; similes verò, quæ sibijpsis naturis respondent, ex quo aliquæ earum corporibus diuinis adhærent, aliquæ verò corruptionem subeuntibus, quibus sanè aliæ, secundum speciẽ insunt, quemadmodum est virtus magnetis: aliæ secundum indiuiduum, sicut est virtus particularis alicuius indiuidui: aliæ verò secundum aliquam præfinitam partem, sicut est virtus alicuius animalis in

vnguibus tantùm, vel in cornibus existens: propterea quoniam res ob qualitates consimiles, vel contrarias; amore afficiuntur, vel in odio habentur; arbitrari debemus causas Antipathiæ, & Sympathiȩ rerum naturalium esse qualitates contrarias, vel consimiles in corporibus naturalibus insitæ: quoniam verò ex vno dumtaxat, lis & amicitia exoriri minimè potest, qualitatibus eas inferentibus duo subiecta, debent saltem subijcere; quorum alter realiter, & quo ad esse, ab altero seiunctum possit ei similibus qualitatibus congruere, vel contrarijs aduersari.

Si actu, vel potentia adhærent subiectis.

QVONIAM autem qualitates egent fulgimento subiecti, vt oratio nostra sit pro viribus enucleata; inquirendum est quonam modo ipsi adhęreant; possunt etiam pluribus modis, actu videlicet, vel potentia corporibus inesse, at potentia nō minus, quàm actus duplex est, prima quidem & secunda: prima verò (exempli gratia) ad scientiam ordinem habens, est in mente, antequam intellectus ipsam confe-

consequatur: secunda quidem, post adeptionem scientię. Actus verò primus est, scientia adepta; secundus, operatio illius scientiæ. Quoniam autem qualitates istę suas operationes examussim perficere possunt, primo modo, potentia esse absurdum est profiteri. Nihil enim quod est simpliciter, in potentia potest suas operationes explere; oportet igitur eas secundum aliam potentiam adniti, vel in his actu primo, vel secundo existere: verum enimuerò his omnibus modis possunt respectu diuersorum illis adhærere; dum enim aliqua earum subiecto formaliter innititur, tunc actum primum consequitur: at si ab operatione desistit potens suum opus peragere; secundo modò potentia dicitur esse: si verò in opere suo versatur, & ipsum perficit, ad actum secundum reducitur.

Si differant specie, vel ne.

ET si dissensus omnes, & consensus naturalium rerum in commune genus qualitatis reduci queunt, ex hoc tamen non contigit, vt in plures species non diuidantur: nam eorum qui fiunt ex virtute cœlesti, in

entia

entia transfusa sub diuersis speciebus collocantur. Qui verò ex qualitatibus elementorum sub alijs, & alijs: propterea quoniam causæ eorum aliȩ & aliæ sunt, & res quibus innituntur realiter seiunctæ, oportet varias, multiplicesque species eorum esse.

Plures esse diffinitiones eorum.

QVONIAM autem idem est essentia rei, & significatum diffinitionis, necesse est, si essentiæ, siue quidditates diuersarum specierum, diuersȩ, multiplicesque sunt, vt etiam diffinitiones variȩ, pluresq; sint. Animal enim rationale est essentia, & diffinitio hominis; innitiuum verò equi, quod quidem, quoniam realis distinctio est inter innitiuum & rationale; diffinitio vnius non competit alteri, sed vnumquodque eorum suam peculiarem rationem sortitur: propterea quoniam consensus, & dissensus plures, diuersasque species infra se continet, quidditatesque ipsæ iuxta numerum specierum multiplicantur, fieri nequit quin diffinitiones etiam non multiplicentur: propterea profiteri congruum est numerum

rum diffinitionum reſpondere multitudini ſpecierum.

Quomodo ſeparari poſſint.

SI verò, vt ex dictis, palàm eſt, plures in ſpecies diuiduntur, quiſpiam arbitrari poteſt, cauſas huiuſmodi nunquam ſimul alicui indiuiduo adhærere, ſed omninò ſeiunctas ſubiecto ſemper differre; re autem vera, & ſi realiter ſemper differunt, aliquando tamen nec diſtingui, nec ſecerni valent. Vnum enim & idem inuenitur pluribus cauſis ſubijcere; ideoq; calidum, & rubrum naturis Martis, Venerisq; præditum res diuerſas efferre poteſt; Nam vt calidum poteſt ad amorem excitare: vt rubrum aliquod animal pellere, & fugare: poteſt etiam ex virtute latente in eo vnius ſtellæ Antipariſteſis aliqua exortum habere, ex virtute alterius concordia in res deriuare, alijs etiam virtutibus exiſtentibus in eo poreſt alios effectus efficere. Cum igitur caliditas, color rubrus, virtureſque ſtellarum res diuerſas efferentes, vni, eidemq; ſubiecto adhæreant, ſimulq; conflari videantur, optimo iure ſtatuere poſſumus plures earũ poſ-

se in vno, eodemq; indiuiduo permanere: propterea hę qualitates specie differentes, aliquando simul iunctę, possunt non minus vno indiuiduo incumbere, quàm seiunctæ, pluribus inhærere.

De causis Antipathiæ, & Sympathiæ vniuersi.

EST quidam politus, atque elegans author, qui de consensu vniuersi differendo copia verborum, floribus orationis non eget, immò tantum aduigilauit pro nitore eloquij, quantum à demonstratione recessit: Nam methodum illam secundum quam possumus medium demonstrationis venari, minimè prosequens plures protulit verbis, quàm rationibus probauit: Nos verò ne in foueam eandem incidamus, demonstrationi illi adhærere conabimur, qua in re ardua, difficiliq; vti potest: Lis igitur, & amicitia à qualitatibus ipsis fluere, atque emanare compertum est: ideoq; vniuersi Antipathiæ, & Sympathiæ obtingit ab eisdem causis exoriri; nam quę sunt qualitates in elementis, sunt etiam in Cœlo, nobiliori verò, Nota, itidem quæ sunt in superioribus, in postremis etiam visuntur,

ſuntur, ſed de genere, conditione, & adultera-
ta natura; qualitates enim elementorum caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas, quoniam formaliter elementis inſunt, à viciſſitudine generationis, & corruptiouis non ſunt alienæ: iccircò Peripatetici vocant eas corruptiuas, corporibus verò cœleſtibus formaliter neutiquam hærent, ſed virtute tantum, propterea ſemper idem ſe habentes, meritò dicuntur perfectiuę: verum quia quæ ſunt in ſuperioribus, ſunt etiam in inferioribus, & ratione conuerſa, oportet ex congruentia harum qualitatum Sympathia vniuerſi emanare; Antipathia verò fit à qualitatibus contrarijs corporibus inhærentibus. Caliditas enim, raritas, & humiditas ſuperiorum opponuntur frigiditati, denſitati, & ſiccitati inferiorum, & econuersò. Verum enimuerò lis, & concordia ex qualitatibus, quæ nunc, exempli gratia, proferuntur, ſolummodo ortum non habent, ſed ex omnibus qualitatibus vniuerſi, quæ adinuicem ſimilitudine Naturæ congruunt, vel contrarietate diſſident.

D De

De causis Antipathiæ, & Sympathiæ corporum cœlestium.

SI igitur in qualitates corporibus adnixas effectus huiusmodi relati sunt, necesse est litem, & amicitiam corporum cœlestium ex eorum qualitatibus emanare: nam cœlestia in qualitate proxima mutuò se adiuuāt; diuersa verò, atque contraria adinuicem se offendunt; Mars enim calidus est, & biliosus; Saturnus frigidus, & melancholicus: propterea quoniā qualitates eorum multū inter se distant, longeq; sunt diuersę, atque contrarię, alter alteri est inimicus, atque offensus, amici verò ratione cōgruentiæ, in qualitate humida sunt Venus, & Luna: quarum virtutes simul iunctæ roborantur, atq; augentur: idem etiam reliquis planetis, stellisq; omnibus accidit. Similes enim cōcordi quadam amicitia complectuntur, dissimiles intimas inimicitias habent, & gerunt: quapropter consensus cœlestium à similitudine, dissensus autem à dissimilitudine qualitatum fieri necesse est, non me latet iuxtà Astrologorum sententiam, litem, & amicitiam ad contrarietatem domorum, vel exaltationum etiam posse referri; nam domus est

inimica

inimica domui, & exaltatio exaltationi, & vnum Cœlum alteri, quod sanè ad qualitatem etiam reduci valet; Sol enim, exempli gratia, exaltatur in Ariete, Saturnus in Libra; Arietis qualitas est sicca, Libræ humida; ideoq; Saturnus in Ariete, & Sol in Libra deprimuntur, & deijciuntur; quoniam qualitates signorum à qualitatibus huiusmodi planetarum nimium dissident, quicquid igitur dictum est de ratione exaltationum, dicendum est de ordine domorum, & de reliquis dignitatibus.

De causis Antipathiæ, & Sympathiæ elementorum.

MVNDVS iste inferior (vt Aristoteles inquit) continuus est superioribus lationibus, vt inde principiũ ipsius motus, virtutemq; omnem hauriat; vnde nec esse, nec conseruari posset, si ab ipso diuino non regeretur. Propterea nihil est in inferiori mundo, quin superioris virtutis sit compos; quoq; partes ipsius priores, prestantioresque sunt eo magis virtute huiusmodi abundant maximè: Propterea cęlesti munere primariæ ipsius partes,

elementa ſcilicet affluunt, quæ ſanè virtute huiuſmodi latente ſenſu, vel vno conſenſu manēt, vel inter ſe diſſidium conſtituunt: hæc autem plures in ſpecies ſecernitur. Continet enim virtutes omnes corporum cęleſtium; quarum (vt Aſtrologi ferunt) Mars propterea diſſimilis eſt Lunæ, ſimilis verò Soli, Iuppiter par eſt Veneri, diſſentit à Saturno; idemq; de reliquarum ſtellarum virtute conſentaneum eſt arbitrari: icircò qualitates ſtellarum in elementa transfuſæ diſſimilitudinem habentes, diſſentionem faciunt: at ſi ſimiles, & pares ſunt mutua quadam concordia ipſa connectunt, quapropter perutile eſt animaduertere qualitates primæ elementorum vim æqualem obtinere; ideoq; dum ſibijpſis certamē inſtituunt, ſi virtute cœleſti altera earum non roboraretur, & incrementum ſuſciperet; neutiquā poſſet alteram deuincere; ex tali igitur certamine potius quies, quàm generatio, & corruptio fieret, ſuſcipiens propterea vigorem ex virtute illa aduerſantem deprimit, atque corrumpit: ex quo partes elementorum viciſſitudine quadam generantur, & corrumpuntur, quod remota ſuperiori virtute contingere minimè poſſet, nec cuiquam partes elementorum generationi, & corru-

corruptioni ſubijcerent. Omne enim quod generatur, vel corruptionem patitur, neceſſe eſt à ſuo contrario generari, vel corrumpi: qua de re, quia ſub orbe Lunæ, & in centro mundi formaliter (vt ita dicam) contraria elementorum non exiſtunt, partes quidem ignis, terræq; in interitum nunquam caderent, nec modo aliquo progignerentur; nam ſicut leue ad locum grauitatis nec deſilit, nec manet: ſic graue ad locum leuitatis neque aſcendit, neque commorari poteſt. Ideoq; nec partes terrę in centro, nec ignis in ſuo loco viciſſitudini generationis, & corruptionis ſubijceretur, ſi virtualiter contraria elementorum ſuis in locis non ineſſent; quæ quidem contraria ſecũdum virtutem nihil aliud ſunt, niſi virtutes corporum cœleſtium, quæ vicem contrariorum gerentes, partes eorum gignunt, & interimunt.

De alijs cauſis Antipathiæ, & Sympathiæ elementorum.

EST etiam & alia Antipathia, & Sympathia elementorum, maximam admirationem Fracaſtorio mouens: quod ſanè admira-

tionem

tionem tanti viri ita demiror, vt magis demirari non possim; noua enim tunc admirationem in nobis efficiunt, cum eorum causas, principiaq; ignoramus. Verum quia causę huiusmodi palàm se proferunt, consensus, & dissensus ille proueniens à qualitatibus manifestis elementorum, admirabilis minimè dici potest. Terra enim siccitate opponitur aquę; aqua, frigiditate aëri; aër, humiditate igni; ignis, siccitate aëri; aër, caliditate aquæ; aqua, humiditate terræ; terra verò respondet frigiditate, aquæ; aqua, humiditate, aëri: aër, caliditate, igni: ignis, siccitate, terræ; Admiratur etiam vir iste eruditissimus, cùm nihilominus videamus certis gradibus solùm contraria simul in eodem subiecto permanere, ac quodammodo congaudere, quod quidem potius demirarer, si formæ eorum non certis gradibus, sed in suo esse supremo possent adinuicem se compati.

De causis Antipathiæ, & Sympathiæ Compositorum.

QVONIAM autem pręter qualitates sensibiles, virtutes Cęli elementis insunt, multæ Antipathię, & Sympathię, non ex quali-

tatibus

tatibus elementorum, sed corporum cœlestium exortum habent: effectus enim, qui vires elementorum excedunt, qui admirationem mouent, qualitatibus ipsis incongruum est tribuere, quòd si operationes omnes ex forma proueniunt, & nihil est quod vltra facultatem & consequentiam suæ formæ possit aliquid agere, censendum est virtutes elementorum gradum suarum formarum non excedere; humida propterea, humiditatem inferunt; frigida, frigiditatem; Ferrum autem veluti Herculeus lapis ad se non trahunt, nec veluti Echeneis, puppim retinent, arbitrari propterea debemus à virtute cœlesti Mistis inhærente potius effluere: ideoq; lites, & concordię, quæ in qualitates elementorum reduci nemo potest, necessariò contigit, vt in virtutes superiorũ corporum reducantur; Virtutes igitur superiorum plantis, metallis, lapidibus, & animalibus affixæ, si sibijpsis consimilitudine respondent res ad amicitiam alliciunt, atque attrahunt, odium verò in eas struunt, si dissimiles, & contrarię sibijpsis obsistunt.

De

De alijs causis Antipathiæ, & Sympathiæ Compositorum.

FORMAE corporum simplicium, ex quibus mista componuntur, & in quæ resoluuntur, non manent actu in misto, nec omninò corrumpuntur; saluatur enim (vt Peripatetici ferunt) virtus eorum: nam etsi corpus molle naturam simul humidi, & sicci retinet, sicci quidem, quoniam suo termino, terminatur; humidi verò quoniam tactui facilè cedit, propterea humidum & siccum, actu non insunt ei, sed virtute tantùm. Si enim actu existerent, mixtum ex eis proueniens non esset vnum per se, quoniam ex pluribus entibus actu existentibus, non fit aliquid vnum nisi per accidens: propterea si Formæ in interitum cadunt, & ex corruptis nulla prouenit actio, consensus, & dissensus compositorum ab eis progigni minimè queunt; iccircò erunt optimo iure in virtutes elementorum relati: manente enim virtutes elementorum in misto, si similitudinem gerũt, amicitiam pariunt; si verò altera, ab altera Natura & proprietate distat, litem tendit; profiteri iccircò possumus consensum compositorum à virtute consimili

ſimili elementorum, diſſenſum à diſſimili emanare, quod ratione, iuxtà ſimilitudinem tranſlata, quæ de primis qualitatibus dicuntur: poſſumus etiam ad reliqua aggregare; nam ſecundæ & tertię, ſi natura proximę ſunt, ſibijpſis cohærent; ſi verò diſſimiles, & contrariæ, mutuò ſe ſe abdicant, verùm enimuerò hoc tantùm in animatis, quod motu exagitantur, eſteriore non obtingit, ſed animalibus quoque, quę motu interiore cientur. Anima enim & corpus compatiuntur adinuicém: propterea quæ temperatione corporis congruunt, inter ſe mutua quadam concordia conne&tuntur; quæ verò temperationem contrariam ſortiuntur, adinuicem ſe pellunt, atque offendunt, melancholici; propterea in quibus ſiccitas, & frigiditas viget à calidis, & humidis, quemadmodum ſunt animantia ſanguine prædita ſatis, ſuperque abhorrent, frigiditate tamen flemmaticis, ſiccitate cholericis inhærent; ſanguinei verò propter humiditatē, flemmaticis congruunt, à cholericis ſunt alieni, ratione verò, caliditatis flemmaticis aduerſantur, cholericis ne&tuntur: cholerici quidem diſtant omninò à flemmaticis, quoniam eorum temperatio calida & ſicca, iſtorum frigiditati, & hu-

 miditati

miditati aduersatur: flemmatici verò humiditate sanguineis, frigiditate melancholicis hęrent, quamuis verò animę omnes prosequantur temperamentum corporis, multum tamen inter se distant, longeq́; sunt diuersę, atque seiunctæ: nã quę brutis esse, & viuere tribuunt omninò rationis, electionisq́; expers: passiones ortas ex corporis temperatione possunt nullo modo deuincere, immò impelluntur ab eis, coguntur q́; affectiones corporis prosequi. Habentia igitur dissimilem temperationem, vi quadam naturali sibiipsis obsistunt, infensiq́; sunt; similem verò sese adinuicem diligunt, atque adiuuant; quod verò est rationis, consilij, electionisque compos, veluti naturalis Potentia ad actum vnum tantum non dirigitur, sed ęquè ad vtrunque se habet, ex eo quod potest non minus ad bonum, quàm ad malum se ipsum conuertere à corporis affectione ad aliquid agendum, siue fugiendum disponitur, & mouetur; verum non cogitur, nec necessariò passionem corporis sequitur: immò in contrarium se fert, eique aduersatur, atque resistit, propterea melancholici, & sanguinei semper neque congaudent, neque condolent: quamuis enim qualitatibus corporis variæ, diuersæque

afficiantur,

afficiantur, virtute tamen possunt amicabiliter disponi, vel ex aliqua animi prauitate seditione agitari: inde aliæ Antipathiæ, & Sympathiæ corporis, & voluntatis originem trahunt, quæ quidem quoniam puræ naturales non existunt, sermonem alium expostulant.

De Regulis, quibus huiusmodi causas venari possunt.

QVONIAM autem corpora cœlestia influunt super composita, necessariò contigit eorum virtus nũquam ab eis remoueri. Cum enim indiuiduum agit, actio superioris causæ non excluditur, immò adiuuat ipsum secundum operationem, & est vehementioris adhęrentię cum re; operationes propterea quas mistum efficit, sublimiori modo efficiuntur à virtute cœlesti ei inhærente, ideoq; sicut virtutes superiorum corporum proximę sunt in qualitate, vel dissidẽt, sic composita eis subiecta, se se amore nectuntur, vel odio prosequuntur: propterea quoniam Mars, & Venus amici sunt, mista eis subiecta adinuicem se se diligunt, atque attrahunt: quæ verò subsunt Saturno, à Venereis

rebus abhorrent, ex eo quod Venus, & Saturnus, Natura, & proprietate distant: inde oritur earum denominatio, vt quædam Saturninæ, aliæ Iouiales, aliç Martiales, aliæ Solares, aliæ Venereç, aliç Mercuriales, & aliç Lunares appellentur: propterea, vt de his notio, intelligentiaque capiatur, possitq; altera earum ab altera dijudicare, & distinguere, vtile esse existimo partem aliquam repetere eorum, quç arcana Naturæ perscrutantes penetrarunt; Percipiens enim quispiã, cui Plãnetç ista, cui illa subijciatur, poterit causas Antipathiç, & Sympathiç indagare: cognoscuntur itaque (vt rectè Maiores nostri retulerunt) per imitationem radiorum, vel Motus, vel Figurç superiorum, vel etiam per odores, colores, & sapores; quçdam etiam per operationes, effectusque, corporibus cçlestibus consonantes; profitentur proptereà Saturno subijcere grauia, terrea, obscura, reptilia, segregata, solitaria, melancholica, nocturna, contemplatiua, auara, timida, multi laboris, immundi victus, genita ex putri materia, & quæ fœtus suos deuorant, stupefactiua, feralia, funesta, & quç grauem odorem, vel violentum, vel obnoxium habent. Iouialia sunt calida, & humida, & quæ ad vegetationem,

Saturninæ res.

Iouiales res.

& incrementum vitę ſpectant, grata, pia, man-
ſueta, iuſta, mitia, bonę diſciplinę, bonorum mo
rum, temperatæ complexionis, & quę alia, ſapien
tia; & dignitate pręſtant; dulcia etiam quæ parti-
cipant aliquid ſtiptici, & acuti, & quę ſuauem o-
dorem, vel colorem aëreum, ſiue viridem habēt.
Martialia verò ſunt ignea, ſulphurea, rubea, adu *Mar-*
ſta; acuta, amara, acra, & linguam perurentem, pa- *tiales*
rimodo venenoſa ex caloris ſuperabundantia, *res.*
& quæ contactu ſuo cutem vrunt, vel pungunt,
vel pungentibus ſpinis tecta, & munita ſunt, om-
niaq; bellicoſa, rapacia, famelica, audacia, & ani-
malibus infeſta. Solaria ſunt lucida, aurea, acu- *Sola-*
ta cum dulcedine miſta, animoſa, magnanima, *res res.*
glorię cupida, quę noctu lucent, vel cantu viden
tur Solem aduocare. Venerea ſunt habentia pi- *Vene-*
tuitā cum ſanguine, alba, dulcia, vnctuoſa, delec- *reæ res.*
tabilia, delitioſa, ſalacia, otioſa, fortis amoris,
graueq; olentia, ſicut hircus. Mercurialia ſunt *Mer=*
aquea, vel diuerſorum colorum permiſta, ſaga= *curia=*
cia, ingenioſa, velocis curſus, verſatiliſq; inge= *les res.*
nij, parimodo quę conſuetudinem habent cum
hominibus, hermaphrodita, & quę ſexum vici(=
ſim mutant. Lunaria ſunt humida omnia, pin= *Luna*
guia, albuminoſa, inſipida, alba, viridia, argen= *res res.*

tea, & quę varietate obiecti colorem mutant, monstruosa omnia, & motum Lunę obseruantia, aues etiam omnes aquatices, & piscium venatrices. Habita igitur de his ratione perscrutantibus huiusmodi causas Antipathia, vel Sympathia aliqua occurrens potest per operationem, vel figuram, vel motum, vel colorem, vel saporē, vel odorem, vel per imitationem radiorum inquirere: quibus Planetis res concordes, vel contrarię subsint. Cognitis enim, & perspectis stellis, prędominantibus causęlitis, & concordię palàm proferuntur. Nam si stellę erunt inter se dissidentes, statuere consentaneum erit, dissensum fieri à contratijs virtutibus stellarum ipsis inhęrentibus: si verò erunt cōcordia coniunctę, consensus proculdubio erit à virtute consimili stellarum. Scire propterea debemus dissentionem saltem effici, à virtutibus duarum stellarum in duo subiecta transfusis, consensum verò, modo à virtutibus duarum stellarum, modoq; à virtuti vnius stellę: quę duobus, vel pluribus subiectis insita, atque innata, illa connectit, quod notius erit ex his quę dicentur.

De

De alijs regulis conferentibus ad cognitionem huiusmodi causarum.

ANTEQVAM vlterius procedamus, scire operæpretium est, quod sicut vna, eademq; stella plures, diuersasq; naturas sortitur, sicut indiuiduum sub ea subiectum plures, diuersasq; naturas eiusdem stellę, haurire, ac retinere potest, pluribusq; etiam Antipathijs, vel Sympathijs subijcere: possunt etiam in vnum virtutes diuersarum stellarum confluere, quod diuersis naturis vetargi perspectis palàm profertur, quoniam mordacitate virtutē Martis ostendit se compotem esse, Mercurij verò ex eo quòd versatilis est ingeniosus, libenterque hominibus hęret: propterea tactu Martis per motus, res aliquæ Saturno subijcientes, pellit, & fugat: ex Mercurialibus verò delectationem, & nutrimentum suscipit: si igitur indiuiduum aliquod pluribus modis dissensu, vel consensu afficitur, acies mentis ad cœlestia erigenda est: syderaq; inuenire, quę virtutem in ipsum effundunt. Cognitis enim stellis, causę quoq; huiusmodi, nobis notę, & perspicuę erunt, animaduertere etiam perutile est nos tantum memorare causas litis, vel concordię,

cordię, quę à virtute Planetarum efficitur, omittimus verò, ne confusione implicemur, quę à syderibus octauæ sphærę exortum habent. Astra enim fixa, quoniam innumerabilia ferè sunt, effectus contingentes in ea relati ordine scientiæ complecti, atque conferre nemo potest: propterea quoniam stellæ natura, & qualitate Planetis respondent: vnde alię earum istius, aliæ verò illius Planetę naturæ compotes sunt, effectus syderum ab ordine Planetarum non exeunt: immò simul cum Planetis ad generationem, & corruptionem confluentes huiusmodi effectus simul progignunt, ideoq; quoniam de numero, ac proprietate stellarum absolutam cognitionem capere minimè possumus, consensus, & dissensus nō ab re ad Planetarum virtutem refertur. quoniam verò, quæ à Planetis fiunt, in infinitum ferè multiplicantur; de his scientia modo aliquo non contigit esse, propterea causas omnes naturali congruentiæ, vel incongruentię proferre minimè conabimur, sed gratia exempli aliquæ earũ erunt in lucem prolatę, vt vnusquisque per se ipsum, similitudine translata, sibijpsi occurrens, Antipathia, vel Sympathia aliqua possit illas indagare.

De

De causis Antipathiæ, & Sympathiæ eorum quæ subsunt Saturno.

ANTIPATHIAE, & Sympathię igitur, quę nunc, exempli gratia, afferentur, si vera, aut falsa sint, quamuis à maioribus probentur, neque contendere, neq; suadere conabimur. Nostrũ enim non est exempla veritate comprobare, & particularia recensere, sed causas vniuersales disquirere, perscrutariq; (vt exempla ex his translata) quisque possit, vtens regulis enarratis de causis earum rationem consequi: initium igitur sumatur à concordia, & lite, quæ res Saturninę cum rebus subijcientibus alijs Planetis, congruunt, vel dissident; propterea quoniam sapore, odore, colore, & operatione percipimus, Saturnum in atram bilem, & Martem in veratrum dominium obtinere, quoniam Planetæ isti hostili odio adinuicem se prosequuntur, profiteri possumus dissidium huiusmodi fieri à contraria virtute Planetarum ipsis inhęrente, quoniam verò virtus Martis in veratro existente, excedit virtutem Saturni in atram bilem effusam: iccircò veratrum dominium in ipsam obtinens vi quadam ipsam pellit, atque educit;

educit; idem contigit etiam omni dissensui in quo alter contrariorum virtute præstat alteri; quod quidem, vt idem frustrà non iteretur, reliquis etiam tribuere quisque potest. Itidem quoniam Saturnus odit Venerem, res Saturninæ à Venereis abhorrent; quod sanè quidam (vt superius diximus) visis Cinaris tristitia conficiebatur: in ipso enim, vt ex figura natiuitatis suę elicitur, qualitas Saturni maximè vigebat; Cinere verò, vt colore, sapore, & operatione, Venerem, excitante percipitur, Veneri subsunt; propterea virtute cœlesti per motus, ipsas in odio habebat; Sympathia autem earum, quæ Saturno dicatæ sunt, ad consimilitudinem virtutis eiusdem Planetæ referre debemus. Non enim ob aliam causam camelus, & mulus inter se congruunt, nisi quia virtute Saturni eis affixa alter eorum ad alterum mouetur; si verò consensus erit inter Saturninas, & Iouiales res, quemadmodum sunt talpa, & anguis, proculdubio erit relatus in virtutem Saturni & Iouisq;. Nã Planetæ isti (vt Astrologi ferunt) amicitia quadam nectuntur: propterea res ei subiectæ tactu eorum impulsę mutuò, quadam concordia se prosequuntur; idem etiã dici potest de Sympathia existente inter Saturnalia;

&

& ea quæ alijs Planetis Saturno amicis ſubeunt; Neceſſitudo enim Planetarum ad concordiam, & beneuolentiam res eis ſubijcientes inuitat, atque allicit.

De cauſis Antipathiæ, & Sympathiæ eorum quæ ſubſunt Ioui.

IOVIS igitur probitate, ſuæq; naturæ benignitate Planetæ omnes, pręter Martem ad amicitiam alliciuntur, atque attrahuntur, quòd res in ſua ditione exiſtentes, paucis rebus diſſenſu obſiſtunt, pluribus verò, ac ferè innumerabilibus conſenſu reſpondēt, diligunt omnia; propterea & ab omnibus diliguntur, Martialibus exemptis, quæ malignitate Martis, erga Iouialia malè affectæ ſunt; propterea onager tactu Martis, ab Elephante Ioui dicato, odio quodam diſſidet, virtute etiam Martis timpana lupina ea diſſoluunt, quę ex agnino corio conflata ſunt, quemadmodum igitur plantę reciſę, ſiue euulſę, virtutem retinent, qua dum virebant alimentum, incrementumq; ſuſcipiebant, potetant ſuas operationes explere; ſic virtus alicuius animalis, poſt extremum ſpiritum

diu in cadauere, vel in aliqua eius parte contenta in ſuum ſimile, vel contrarium agere poteſt; in lupino propterea corio manens poſt mortem virtus Martialis, & in agnino Iouialis tympana ex eis conflata, maximè diffident, quod maiores non percipientes, hoc ad ſpecies quaſdam ſpirituales referunt, quę quidem ſi non ſunt emanationes, non intelligentię, non corpora cœleſtia, non elementa, non miſta, nec virtutes ex ſubſtãtijs dimanantes, erunt potius res fictę (vt Scilla, & Chimera) quàm cauſæ litis, & concordię naturalium rerum: quo verò ad Sympathiam Iouialia ſimul congruunt, atque congaudent, propterea Populi, & Vites ſe ſe adiuuant, atque corroborant: Iouialibus etiam congruunt entia, reliquis Planetis ſubiecta; Natura enim Iouis multã vim habet ad coniungendas amicitias: ideoq; conſpecta Sympathia aliqua inter Iouialia, & illa quæ ſuis amicis referuntur, ſtatuere quiſque poteſt fieri à virtute huiuſmodi Planetarum eis inſita: inde eſt, quod Ciconea Iouialis, & olor Solaris auis tactu Solis, Iouisq; concordia nectuntur, quod etiam contigit rebus, Veneri, Mercurio, Lunæq; ſubiectę, quæ Iouialibus concordia naturali adhęrent.

De

De causis Antipathiæ, & Sympathiæ eorum, quæ subsunt Marti.

CVM autem Mars natura maleficus, dirusq; sit, effectibus Martialibus contigit plurimum à Iouialibus distare; Ioui enim Mars tantum infensus, & inimicus est; reliqui verò Planetę benignitate sua ducuntur, ac ei assentiuntur; Martem verò, conuersa ratione, omnes in odio habent præter Venerem; ideoq; ille ad concordiam res ferè omnes abducit, istę verò litem, & odium in res struit, qua de re, quoniam inimicus est Soli, Martialia, & Solaria mutuò se pellunt, & abdicant: propterea Laurus Soli sacer fulgura repellit, perpetuoq; virens, ęstiuum ęstatis ardorem non veretur: itidem subijcientia reliquis Planetis sibi aduersantibus, eadem ratione Martialia odent; quod autem res Marti subiectæ inter se congruant, manifestum est, ex mirabile consensu Magnetis, & Ferri, quorum altera, ad se alterum trahit: dummodo adamas, in quo virtus Martis maximè viget, propè ipsam non maneat: ligat enim virtutem magnetis, ipsamq; compescit, ac subigit: sicut enim dū Princeps longè abest, pretor suo fungitur officio, im-

petumq; Ciuium coërcet, sed presente Domino, neque iura dat, neque potestate sua ad parendum aliquem cogit; sic magnes agit in ferrũ, absente adamante, sed coràm ipso attrahere minimè potest. Vis enim Martialis sua, quoniam exceditur à virtute adamantis, ab ea deprimitur, atque ligatur; congruunt etiam inter se Martiales, atque Venereę res, ex quo mulieres, & viri militares libidine exagitati, mutuò se diligunt, atque prosequuntur. Ideoq; (vt Aristoteles refert) qui primus fabulatus est non irrationabiliter, Venerem Marti coniunxit, quoniã milites proni sunt ad Venerea, illisq; obnoxij.

De causis Antipathiæ, & Sympathiæ eorum quæ subsunt Soli.

QVANTVM verò cœlestis tactus in animalia ratione, electioneq; orbata valeat: Leo ferarum rex testari non desinit. Quamuis enim cęteris animantibus magnanimitate, & animositate plurimum pręstet, non propterea obtingit, vt virtute cœlesti perterritus, mustelam non extimescat. Nam Mercurialia, quemadmodum sunt mustelę, & Solaria, sicut

Leones,

Leones, ex eo quod Mercurius aduersatur Soli, odio quodam maximè dissident: Formidat proptereà leo mustelam, eiq; damnum, & detrimentum ab ipsa infertur. Quo verò ad Sympathiam quis admiratione non detinetur, inspiciens leonem gallum vereri; quoniam virtus Solaris in gallum exuberat. admirationem etiam mouet consensus inter Solaria, & illa quę suis amicis dicata sunt; ex quo Taurus ad Solem relatus, fico deuinctus, sedata feritate animi conquiescit. Virtus enim Veneris in arborem, huiusmodi effusam, tam ferox animal, tantumq; indomitũ, mansuetum, humilemq; reddit. Multę etiam Antipathię, & Sympathię inter Solaria, & alijs Planetis subijcientia exoriri videntur, sed breuitatis causa, omittere non incongruum est.

De causis Antipathiæ, & Sympathiæ eorum quæ subsunt Veneri.

PLANETAE quidem omnes (Saturno excepto) iucunditate, atque comitate Veneris ad amicitiam ducuntur. Iccircò Venerea cum illis, quę alijs Planetis referũtur, amicitiam constituunt, à Saturninis verò abhorrent,

rent, eisq; obsistunt: propterea tactu, Veneris, ferali buboni, coruus est inimicus, atq; infensus; eadem ratio est, quę iuuenes, & senes, congaudere minimè queunt, nec simul consuetudine vti, sed virtute contraria Saturni, Venerisq; se se vitant, atque effugiunt; res autem Venereę inter se, naturali quadam societate complectuntur, atque coniunctæ sunt: qua de re motacilla hirundinem, columba passerem, ad amicitiam inuitat, atque adiungit. Venerea etiam amicitiam constituunt, cùm rebus alijs Planetis subijcientibus: id eoque turtur auis Venerea, & psitacus Mercurialis, mutua consensione, conciliantur, & coniunguntur; quod etiam de rebus reliquis Planetis subiectis dicere consentaneum erit.

De Causis Antipathiæ, & Sympathiæ eorum quæ subsunt Mercurio.

QVAMVIS igitur varijs Mercurijs moribus, varię, diuersæq; Mercuriales res efficiantur: cum tamen ei amici sint Iuppiter, Venus, & Saturnus; consensu quodam naturali, Mercurialia, Saturninis, Iouialibus, Venereisq; rebus hærent, quod ratione conuersa,

ex eo quòd ei inimici sunt Mars, Sol, & Luna, quę sibi subiectę sunt: Martiales, Solares, Lunaresq; res pellunt, & effugiunt: propterea, Panthera Lunę dicata, & Simius Mercuriale animal natura, plurimum dissident. Acredula verò, & galerita consimili, eademq; virtute Mercurij in vtráque effusa inter se congruunt: similiter, quoniam Mercurius est Ioui necessitudine iunctus, inter cucupham Iouialem, & picam Mercurialē auem mutua concordia versatur, quid de reliquis, iudicium simile vnusquisque per se ipsum constituere potest.

De causis Antipathiæ, & Sympathiæ eorum quæ subsunt Lunæ.

QVONIAM autem Luna infima Planetarum, citima terris est, Lunares effectus notiores nobis fiunt; ideoq; cum Luna herinacei marini, ostrea, & cōchilia omnia sensu percipimus crescere, pariterq; decrescere, fluxus quoque, & refluxus maris, fretus, æstusque maritimi, accessu, & recessu Lunæ, commouētur corpora denique humana, existente in quadrato, vel coniunctione, vel oppositione Solis exagitari

aperte

apertè ſentimus: quò fit, vt lites, & cōcordię prouenientes ex ea apertius nobis proferantur: iccircò quoniam eſt inimica Marti, Lunares & Martiales ſibijpſis aduerſantur, quòd euphorbiū virtute Martiali in eo vigente, Lunarem pituitā diuidit, atque educit; Verùm enimuerò, quoniam (vt Medici dicunt) contrarijs contraria curãtur, ambiget fortaſſe aliquis, hoc contingere non virtute cęleſti, ſed potius caliditate euphorbij; ex quo operæpretium eſt animaduertere modò tantùm euphorbium caliditate nō agere in pituitā, ſed etiam virtute cœleſti ei affixa: ſignū eſt quòd mulra eodem gradu caliditatis prędita, eandem vim non obtinent, quoniā tali virtute cęleſti ſunt penitus denudata: quæ verò ad conſenſum inter Lunaria lapidem Selenitem morbum ſacrum curare proferunt; quò fit, vt aliquando corpus viuū potius vigore ſimilium, quàm contrariorum ad medium reducatur, habent etiam conſenſum Lunaria, cū rebus amicis Lunæ ſubiectis, ideoq; Lunares anſeres, & Venerei cygni, mutuò cōgruunt inter ſe, ac congaudere videntur, quæ quidē, exēpli gratia, ſint à me enarrata, vt quiſpiā proſequēdo hanc methodum, poſſit reliqua indagare.

FINIS.